

vini Numinis institutum certâ ratione coordinatâ certam speciem pluralem exhibent, ad dirigendas hominum mentes aliâs divergentes, ut ad divinâ mentis imitationem, & inde pendentem ipsorum salutem, conspirent & collineent. Et principaliter quidem tanquam partes extra partes ita coordinantur

III. Vel *Homines ipsi* secundum Actiones voluntarias considerati, quas DEUS ipsis singulari præ cunctis animalibus prærogativâ liberas concessit, sed indice digito cordibus eorum, quorsum hæc dirigendâ sint actiones, ut rectitudinem obtineant, propensionem certam primitus impressit; mox ubi primi parentes actione temerariâ nihilominus delirassent, & ob eam impressionis hujus potissimis gradibus privati fuissent, ipse DEUS quædam, ad salutem æternam necessaria, Verbis revelavit; sed ad salutem temporalem necessaria, quibusdam ex minutis illius impressionis adhuc residuis colligenda, hominum industriæ propriæ reliquit. Ad utrumque tantò perfectius obtinendum homines in societatem coire necessum habent, quâ CORPUS MORALE constituunt, quod Morum i. e. actionum liberarum ad utrumque scopum directarum ratione duplex est,

(1) *internum*, Corpus *Ecclesie*, vel ECCLESIA dictum, quod ex diversis hominum personis, tanquam ex partibus extra partes, ad unitatem fidei per revelationem ab ipso DEO præscriptâ, morum sanctitate conspirantibus, constat.

(2) *externum*, Corpus *Civitatis*, RESPUBLICA dictum, quod ex diversis hominum personis, tanquam ex partibus, extra partes, secundum Divinam ordinationem ad reciprocum auxilii mutui *binarium*, sub regiminis & partitionis certâ s. determinatâ ratione (sub ratione statûs, h. e. sub certâ quantitate, proportione, seu formâ statûs) junctim primò statutâ, dispositis, constat.

IV. Vel ad statutum aliquod Corpus efficiendum coordinantur *Hominum Notiones*, faciuntque CORPUS NOTIONALE, quod ORATIO dicitur, & est

(3) vel *internum*, ORATIO nimirum *interna*, Corpus *doctrinæ*, Systema, dictum, quod efficiunt *Notiones interne*, secundum cognoscendi modum artificialem inter homines, sub certâ conceptuum quantitate junctim statutâ, concurrentes.

(4) *ex-*